

\*

/ Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini praesules, et principes. Litteras Illustrissimarum, ac Reverendissimarum Dominationum Vestrarum ultima die Augusti datas reddidit mihi admodum Reverendus, et illustris comes Fridericus de Hohen Zollem die 12 Martis. Ex  
 5 iis litteris, et legatorum verbis cognovi non solum periculum, in quo res christiana versatur, sed etiam zelum, et sollicitudinem Illustrissimarum, et Reverendissimarum Dominationum Vestrarum in religione catholica conservanda. Quid vicissim ab Apostolica Sede, et Summo Pontifice expectandum sit, legati referent. Quod ad meam  
 10 exiguitatem attinet, gratias ago Deo ex toto corde, quod tempore tam difficili accenderit ~~animos~~ tot Illustrissimorum principum ad utilissimam, ac paene necessariam confoederationem: in qua si perseveraverint, non ambigo, Deum adfuturum et praepotenti dextera sua conatus eorum feliciter promoturum. Interim ego quoque precibus  
 15 apud Deum, et consilio, atque exhortatione apud Sanctissimum Patrem Nostrum Summum Pontificem communem causam, pro viribus adiuvabo. Confirmet Deus quod operatus est in vobis; et qui dedit velle, donet etiam perficere in laudem sancti nominis sui. Idem etiam Illustrissimas, et Reverendissimas personas vestras in omni prosperitate, et incolumitate custodiat. Romae die 14 Martii 1610.

Epist. famil. LXXII.

\* Joanni Svicardo Moguntino  
 Lothario Trevirensi  
 Ernesto Coloniensi Archiepiscopo  
 necnon  
 Sacri Romani Imperii Principibus Electoribus